

Qualia efformata, inserviam. **Quantum enim Tabulæ, in quibus multa aliqui pa-**
sim & sparsim tradita sub uno continentur intuitu memoriae prosint, aliis judicandum
relinquo. Ediderunt quidem ante hac Viti Clarissimi Tabulas Logicas, quæ suam
meritò merentur laudem, sed plerique omisisse præceptis Aristotelicis vel sua, hoc est,
suis verbis concepta; vel Rami, cuius Philosophia fere passim exulat, suffecerunt, quæ
si adolescentes ediscant, ubi ad Academiam veniunt, alia ex peripateticorum scriptis
memoriae mandare duplicato labore coguntur. Hoc ut præcaveretur malum, Ari-
stotelis definitiones ac divisiones græcas, quæ in nonnullis Academiis à Canditatis Phi-
losophiæ requiri solent, quantum fieri potuit, retinui, additis interdum dilucidis ex-
plicationibus ac notis necessariis Philippi Du Trieu, cuius Dialectica multorum jam
teritur manibus: Ubi autem ex Aristotele definitiones ac divisiones haberi non po-
tuerunt, substitui aliorum probatorum auctorum verba. Quid? nil nisi quod ab aliis
benè dictum adolescentes hic habebunt. Tantum igitur abest, ut tyrones & discen-
tes ab optimorum auctorum lectione avocem & abducem, ut potius invitem & addu-
cam: Cum enim tum ob dissentium memoriam; tum ob pagellarum interdum an-
gustum definitionum, divisionum & regularum exempla, limitationes, ubiores ex-
plicationes, nec non alia scitu haud indigna, sint omissa, ideoque de illis, ut unus vel
alter liber Logicus tanquam præceptor mutus consulatur, semperque cum his Tabulis
conjugatur, s' video atque moneo. Vobis vero Viri Magnifici, Nobilissimi, Ampli-
simi, Consultissimi, Domini Patroni & Fautores honorandi hasce pagellas Logicas,
cā, quā par est, animi subjectione consecrare volui, propter benevolam V. Magn. Nob.
& Ampl. erga literarum studia affectionem, quæ ex vestrarum scholarum amplifica-
tione, illustratione, conservatione & munificentissima nutritione, nec non fideli in-
spectione & necessaria correctione satis cognosci potest. Ut igitur V. Magn. Nob. &
Ampl. hoc quicquid est carthacei munulculi fronte serenâ suscipere, favorisque sui
radios in me quoque derivare non deditur, etiam atque etiam oro. Valete quam
felicissimè. Dab. 18. Sept. Anno 1628.

V. Magnif. Nob. & Amplit.

submissè colens

M. JOHANNES STIER.

PRO-